

propter hoc erecto favetque omnibus hispanicè sentientibus, unde etiam presbyterum nuper suspendio necatum propter Bruxellanas litteras regno insidiosas fovit atque a morte liberare conatus est, ut quidam fratres mihi narraverunt. Credo etiam quod tanquam explorator duplex refert eminentis<sup>o</sup> Cardinali aliquid leve; ut tutius possit gravia Gallorum omnia rimari ac renunciare. Omitto quae contra me pater Generalis per eum Domino Cardinali (licet frustra) suggessit obliquis epistolis: timens ne mihi fides preberetur, ejus Hispanismum detecturo, etenim oratores omnes Bettunes, Brassach, Chricchi, et Novalia bene norunt, quid ego et quid p. generalis in Urbe sapiebamus, et quibus adhibebamus partibus.

Sciendum preterea, quod quoniam nullum potest fieri malum nisi sub specie boni, erexit p. Rodulfus novitiatum Lutetiae (ex 14 millibus libris argenteis ablatis contra legem a conventu d. annunciatæ reformatorum, nec ostendit dispensationem papæ qua hoc fecit:) ut conventus provinciae quibus vetitum est recipere ad habitum religionis novos fratres ex alumnis reformatis in hoc novitiatu, replerentur. At iste Carreus praefectus novitiati in tribus annis tres tantum novitios fecit, quorum unus recessit ab eo, et quos apud se fratres habet, sunt fugitivi ex conventibus reformationis S. Ludovici: quicumque enim ob crimen aliquid passi à superioribus suis vel timentes pati ad Carreum confugiunt impunitatis spe. Qui habet auctoritatem independenter ab omni superiori in Gallia et solum patrem generalem agnoscit quapropter et reformatos deformat passim et non reformatos annihilat, dum evacuat iste conventus incessanter et non replet nec replere potest. Quoniam reverà iste novitiatus est tegumentum politicum, non autem reformationis promotio, oportebat enim in congregatione S. Ludovici reformatorum optimos alere centum novitios in 4 vel pluribus cenobiis sicuti isti boni patres consuebant et ex illis conventus non reformatorum replere et non erigere unum ex pecunia reformatorum contra reformatos, in quo Carreus sequestratus ab eis et independens regnaret, possetque sic artem exploratoris exercere. Vide domine quod fictitius est iste novitiatus etiam ex hoc quod pater Carreus manducat semper carnes, incedit in curru nunquam surgit ad matutinum: quae nulli prelato presertim conceduntur, nisi egrotantibus qui non possunt habere officium super alios, si non possunt vitam communem servare: sicut ipse finget se non posse, preterea Novitios unà cum sacerdotibus habitare permittit, novas ceremonias, novas tonsuras, novum cantum inducit, obedientiam et precepta superiorum sibi intimata rescindit, et contra vere reformatos a quibus per vim extraxit 14 millia librarum et sepe aliis elemosinis fraudat, erexit quasi altare contra altare, exploratores et exploratrices in palatia principum submittit, et tandem in premium tantorum facinorum factus est commissarius super conventum probatissimorum, ac doctissimorum Jacobistarum vir indoctus omnino cervicosus, simulator, inobediens; unde coacti sunt Romam mittere petentes si reformatione indigent alios illustres reformatores, sub quorum lumine possint ambulare non autem sub Carrei lucerna fumigante. Hec pro debito meo intimesse satis.